



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione Auguſt. Hutteni
- 2 Sadnel & unioſoſa nos disp. 1.
- 3 Arieſocōs breuis de ſarō phyſicō ſuſu ni diſtinctis M. Fied. 3. Alduini
- 4 Disp. de ſtō. ſcti tūm ſſora tūm officio. Hofmanni
- 5 Diſput. 1. de Coena Dni. eiq̄dam. aſſerēs tō p̄tōy & mūhita
- 6 Diſput. 4. de Coena Dni. Hofmanni ^{de ſuſt. & ſiſtōm} ex cap. 1. Cor. 10.
- 7 De noticijs Dni & Voluntatis ipſius Hofmanni
- 8 Drey Vnterſchiedliſche ſchreiben an d. Conſiſtorium zu
Leyffig, vnter abſch. d. Sub Exorcismi
M. Georſij Leyſtanij

Geß

Sammelband

30

74
DISPUTATIO XV.
DE SACRAMENTIS
IN GENERE.

Ex Articulo XIII, Confessionis Augustanae.

Quam

Sub auspicijs Sacrosanctae Triadis,

Præside

LEONHARTO HVTTERO, S. Theologiae Doctore, & Professore publico:

Defendet

M. CHRISTOPHORUS ZECHERUS
Norimbergensis.

Die 29. Martij. hora locoq; solitis.



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno cl^o l^o XCVIII.



CLARISSIMIS VIRIS,

REVERENDA DIGNI-
TATE, MULTIPLICI RERUM VSV
ATQ; SINGVLARI DEXTERITATE
PRÆCELLENTIBVS,

D. ÆGIDIO HUNNIO ECCLESIA-
rum Saxonicarum Ephoro vigilantissimo
dignissimo.

D. SALOMONI GESNERO, TEMPLI
Arcis Witebergensis Præposito,

D. DAVIDI RUNGIO:

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI-
BVS ET PROFESSORIBVS IN
ALMA VVITEBERGENSI ACADEMIA,
*de Ecclesia puriori Publice Privatimq;
benè merentibus Ihesu Christi
Seruis;*

Dominis ac Præceptoribus suis tamquam
parentibus piè Colendis,

INSCRIBIT

M. CHRISTOPHORUS ZECHERUS
Norimbergensis.

DE SACRAMENTIS

in genere.

THESIS I.



Ecclesiae, hisce in terris militantis naturam & conditionem in genere nuper nostra expendit Confessio: nunc in specie, Bona ac thesauros, qui ipsius fidei sunt concrediti, Methodo convenientissima considerat.

I I.

Bonorum istorum appellatione, præter alia beneficia, quibus suam Ecclesiam Salvator liberalissimè dotavit, cum primis duo illa Novi Testamenti veniunt Sacramenta, Baptismus nimirum & Cœna Domini: quorum hoc Confirmationis, illud Initiationis haud perperam appellitari usu receptum est.

I I I.

Nihil verò prohibet, quo minùs speciali singulorum istorum Sacramentorum explicationi, brevem quandam, de Sacramentis in genere consideratis, tractationem præmittamus.

I V.

Facit hùc haud parùm, Articulus Confessionis nostræ XIII. quem de usu sive finibus Sacramentorum Protestantes breviter & perspicuè conscripserunt.

V.

Accidit autem anno 1540. huic etiam Articulo, in posteriore editione, variatio haud levis: quæ etsi prima fronte videatur tolerabilis: accuratius tamen eam expendenti, ὑπερόντα fovere, haud oblcure deprehenditur.

V I.

Patet hoc ex Appendice, quam verbis prototypi ea assuit, quæ sic habet: Hæc fide accipimus promissam gratiam, quam Sacramenta significant, & Spiritum Sanctum.

V I I.

Geminum appendix isthæc Sacramentario furori præbet latibulum: Primum enim dum promissam gratiam fide accipi, ea affirmat: Sacramentarij per promissam gratiam intelligentes al-

A 3

teram

teram Sacramentorum partem substantialem, cælestem illam
& invisibilem; qualis in S. Cœna est Corpus & Sanguis Christi;
fide duntaxat eam accipi: ac proinde, oralem quam vocamus,
ut & indignorum manducationem hoc Aphorismo excludi, in-
de colligant.

VIII.

Deinde, Spiritus Sancti mentio, qui fide accipiatur, ad eli-
minandam ipsam Corporis & Sanguinis Dominici in usu sacrae
Eucharistiae, substantiam, plurimum opis ac suppetiarum Sa-
cramentarijs subministrat.

IX.

Valere igitur iussâ in hoc etiam Articulo mutatâ editione,
Prototypi stamus puritate, quæ partibus consuetis duabus, θεός
& εὐχριστία absoluitur.

X.

Vtriusq; verò hujus partis enodationi, ut ea præmittamus,
quæ de Sacramentorum naturâ ac substantiâ quæri & controver-
si hodiè & solent & possunt, operæ præteritum fuerit.

XI.

Tribus ergò quæstionibus Articuli hujus θεός expediemus
quarum. I. erit de ipsâ naturâ ac substantiâ Sacramentorum in
genere consideratorum: II. de eorundem usu ac finibus: III. de
conditione & qualitate eorum, qui Sacramentorum finibus par-
ticipes evadere cupiunt.

QVÆSTIO I. ΘΕΟΣ

*De natura & substantiâ Sacramentorum
in genere consideratorum.*

XII.

Sacramentorum naturam & definitionem arguta brevitate
complexus videtur Apostolus, definiens Sacramenta quòd sint
signa ob signantia justitiam fidei, Rom. 4, 11.

XIII.

Duobus nimirum vocabulis, σημεῖον & σφραγίδος signi &
signaculi rem omnem accuratè describens.

XIV.

Neq; enim vel Chrysofomo, vel alijs, magni alioqui no-
minis, Theologis subscribere possumus: qui duo isthæc vocabu-
la συνώνυμα esse, ac proinde parem eandemq; significationem ob-
tinere contendunt.

Vnde

XV.

Vnde factum, ut in certamine Sacramentario, signi & signaculi vocabula à multis imperitè confunderentur.

XVI.

Cæterùm hoc pacto, & Apostolus turpis ac otiosæ ταυτολογίας esset arguendus: & σημεῖον ac σφραγίς Græcis idem denotare, statuendum foret: Quorum illud vel cogitare impium: hoc verò cum enormi inscitia conjunctum.

XVII.

Proinde statuimus duo isthæc vocabula differre, ut Rem, & usum rei: ita quidem, ut σημεῖον sive signum, rem, hoc est Sacramentum ipsum notet, ejusdemq; naturam ac substantiam exprimat: σφραγίς verò sive signaculum, usum Sacramentorum designet.

XVIII.

Sacramenta igitur, si ex naturâ ac substantiâ suâ considerentur, signa sunt: Sed signa talia, quæ, D. Augustino describente, præter speciem quam ingerunt sensibus, aliud aliquid faciunt ex se in cogitationem venire, signatum videlicet.

*l. 2. de
doct. christ.
cap. 1.*

XIX.

Dicuntur autem Sacramenta signa, partim ratione verbi nudi, per quod in ijs Deus cum fidelibus agit; partim respectu ritus externi ac visibilium Elementorum.

XX.

σφραγίδος verò sive signaculi appellationem sibi vendicant, quatenus invisibilem & spirituales gratiam in electis obsignant & confirmant.

XXI.

Facit autem Patrum & aliorum perplexitas ac discrepantia, qui Sacramentum & rem Sacramenti, sive signum & signaculum confundunt: ut accuratius isthæc singula sint explicanda.

XXII.

Initiò igitur freti autoritate Apostolica, qua is Sacramentum Circumcisionis nominat σημεῖον signum, statuimus terminum signi totam substantiam Sacramentorum exprimere: adeo ut quicquid ad integritatem & substantiam Sacramenti pertinet, ei tribuendum sit, quod signet.

XXIII.

Constat autem, secundum Irenæum & Augustinum Sacramenti

A 3

cujusq;

cujusque integritas & Essentia, non re una; Sed duplici: eaq; toto genere à se invicem dissidente: unâ quidem terrenâ ac visibili: invisibili & cœlesti alterâ.

XXIV

Duabus hisce partibus simul sumtis, non uni seorsim, Sacramenti nomen ac definitio propriè competit: ac proinde etiam, non uni seorsim, sed utriq; rursus conjunctim signi appellatio, & signandi officium competit.

XXV.

Notandum tamen apud Scriptores Ecclesiasticos, hanc de qua diximus vocabuli signi notationem non semper observari, sed illos aliàs totum Sacramentum: aliàs partem duntaxat ejus, Symbola videlicet visibilia & externa, signi termino describere.

XXVI.

Αμφιβολίας istius ratio ex eo dependet, quia Sacramenta non tantum tota signant seu significant aliquid extra se, fructum nimirum sive usum, cuius respectu signa dici meruerunt: Quemadmodum Circumcisio tota signat Apostolo teste Circumcisionem ἀχρηστοποίητον: Baptismus totus signat regenerationem.

Coloss. 2.
11.

XXVII.

Verum etiam quia res Sacramenti visibilis & externa, ut quæ sensibus subjacet, nec primarium illud est bonum, propter quod Sacramenta instituta sunt, signum dici consuevit rei invisibilis, ut, quàm certò res externa & visibilis oculis conspicitur, tam certò cœlestem alteram, quantumvis invisibilem adesse & verè conferri credamus.

XXVIII.

Quæ causa est, quòd Scriptores Ecclesiastici haud rarò, externa Elementa & Symbola, Sacramenta etiam appellant: non quidem sensu Calvinistico, quasi hæc Elementa omnem Sacramenti rationem in se contineant: Sed respectu rei invisibilis, atq; bonorum invisibilium, quæ in Sacramentis exhibentur, quorum signa invisibilia atq; externa, Elementa illa esse, haud malè statuitur.

XXIX.

Particularis hæc vocabuli signi, pro parte nimirum terrena & externa Sacramenti, accepta significatio: duplicia nobis pro diversitate duorum fœderum, & temporum exhibet signa: Vete-
ris

ris quidem Testamenti signa *σημαντικά*: Lex enim umbram tantum habuit & figuram futurorum bonorum, hoc est, Carnis & *Heb. 10:1.* sanguinis Domini: Novi verò Testamenti signa *διαδοκικά* καὶ *προσφερόμενα*, exhibentia & conferentia ipsum corpus & sanguinem Dominicum.

XXX.

Patet ex his, quæ hætenus sunt disputata, quæ nam vera sit Signi & Signati ratio: nimirum, si signum pro toto sumatur Sacramento, utraq; videlicet ejus parte, tam cœlesti & invisibili, quam terrena & visibili: tunc signatum non esse partem Sacramenti (alioqui enim pars & totum idem forent): Sed signati rationem obtinere, ipsum usum ac fructum Sacramenti proprium ac proximum, qui pars Sacramenti *ουσαίτη* minimè est: sed extra ejusdem substantiam subsistit.

XXXI.

Exemplo rem illustremus: Si Sacramentum Cœnæ Dominicæ totum ac integrum, Signi appellatione notetur: jam signatum, non erit Corpus & Sanguis Domini: Sic enim statueretur, externa Elementa integrum Sacramentum constituere: ut quæ signent, nos Corpore & sanguine Dominico vesci: id quod Calvinisticum est delirium: Sed signatum erit, Spiritualis manducatio & coalitio cum Christo: quæ ipsam Sacramenti Eucharistici substantiam non constituit: id quod ex indignorum manducatione est manifestum, qui percepta quidem ipsa Sacramenti hujus substantiâ, usu tamen ejus & fructu destituuntur.

XXXII.

Quod si verò particulariter Signi vox, pro una tantum & externa Sacramenti parte accipitur: tunc signatum non erit aliquid extra Sacramenti substantiam positum: sed ipsa Sacramenti pars *ουσαίτη* & substantialis: ut in S. Cœna, externi elementi panis tanquam signi, signatum erit Corpus Domini: Vini signatum erit ejusdem Sanguis.

XXXIII.

Oritur ex diversis hisce signi & signati respectibus, diversa etiam prædicationum ratio: Quando enim respectu prioris considerationis, signum pro toto sacramento sumitur; ita ut signatum sit aliquid extra Sacramenti substantiam positum: nomen verò signati tribuitur ipsi signo: ut cum pro baptismo dicitur *Regeneratio*:

generatio: pro Cœna Domini, spiritualis coalitio cum Christo & sic fructus sive usus Sacramenti ponitur pro ipsâ substantiâ Sacramenti: tùm figuratè ac metonymicè hoc fieri, nemo facillè ibi inficias.

XXXIV.

Quando verò respectu posterioris considerationis, non unum pro altero ponitur: sed unum de altero prædicatur; hoc est, de signo signatum, de una parte *συστατικῆ*, pars prædicatur altera, & sic non simplex λέξις, sed prædicatio est: ut cum panis benedictus dicitur esse Corpus Christi: Vinum benedictum dicitur esse sanguis Christi: tùm neq; metonymia, neq; figura ulla alia locum habere potest.

XXXV.

Quin imò, cùm in hoc locutionis genere, non fructus Sacramenti, pro ipsa substantia Sacramenti ponatur: sed, ut dictum, pars una *συστατικῆ* de altera prædicetur: constat hanc locutionem, ne Sacramentalem quidem propriè, multò minùs regularem dici posse aut debere.

XXXVI.

Relinquitur ergo rectè eam à nobis *Inusitatam*, hoc est, mysticam & singularem statui, talem nimirum, cujus ratio pendeat ex Unione Sacramentali, quæ est tota arcana atq; mystica.

XXXVII.

Grunniunt hinc Sacramentarij, & nobis nescio quam *ἀσυστάσιον* vel *ἀντίφασιν* obijciunt: dùm verborum institutionis ἔκτων, cum modo prædicationis inusitato, sine contradictionis implicatione stare nullo modo posse, opinantur.

XXXVIII.

Atqui verò non attendunt nasutuli isti, ὡσαύτως ista à nobis non statui, sed diverso respectu: ac ἔκτων quidem respectu singulorum vocabulorum: modum verò prædicationis inusitatum, respectu totius prædicationis à nobis asseri. Vnde an ulla sequatur ἀντίφασις, judicet is, qui Logicæ vel mediocriter saltem gustavit principia.

XXXIX.

Quid? quòd *Inusitatam* prædicationem nullibi reperias, nisi in simplice ac propria sive usitata singularum vocum significatione, quam, si ad improprietatem aliquam, & figuratum sensum

sensum inflectas : illicò inusitati modi rationem in prædicatione omnem sustuleris.

XL.

Exemplo rem illustremus. Prædicatio illa , qua Deus de homine , homo de Deo prædicatur , regularis non est , id quod per se manifestum : Relinquitur ergo eam esse vel figuratam , vel singularem , sive ut Theologi loquuntur , Inusitatam . Atqui figurata non est . Nam tropus inesset vel particulæ (*Homini*) : & sic in Manichæorum castra fieret transitus : vel voci (*Dei*) : & sic Arianorum confirmaretur impietas : vel deniq; Enunciationis copulæ : qua ratione Eutychnianis subscriberetur . Superest ergò , prædicationem istam , retenta etiam singularum vocum propria ac nativa significatione , rectè statui singularem sive Inusitatam .

XLI.

Inest his , quæ hætenus disputavimus , maximum ad dirimendas nostri sæculi Controversias compendium : quo destitutis vix ullum aliud superest præsidium , quo adversariorum triacas & nodos dissolvere queant .

XLII.

Cæterùm ut ad Sacramentorum naturam propiùs explicandam redeamus , diximus supra , Quodvis Sacramentum tam Veteris quam Novi Testamenti , duplici , & quidem diversa consistare materia : terrena una & visibili : cœlesti seu invisibili altera .

*Materia
Sacramen-
torum.*

XLIII.

Externa seu terrena materia , sunt ipsa symbola sive Elementa , non humano arbitrio delecta , sed divinitùs ordinata : qualia sunt : In Circumcisione præputium cum sanguinis fusione recisum : in Sacramento Paschæ , Caro & Sanguis agni : In Baptismo , Aqua : In S. Cœna , panis & vinum .

XLIV.

Res seu materia Cœlestis , in Sacramentis utriusq; fœderis est , Caro , vel sanguis Dominicus : Is verò , pro diversitate temporum , vel typicus est , vel Essentialis .

XLV.

Sacramenta enim Veteris Testamenti umbratilia fuerunt & typica , sanguine præputij , typum sanguinis Christi essentialis :

B

Carne

Carne & sanguine agni Paschalis, typum carnis & sanguinis
Dominici in sese continente.

XLVI.

Heb. 10. 1. Novi vero Testamenti Sacramentorum res cœlestis, non
umbram futurorum bonorum, sed ipsam rerum εἰκόνα substan-
tiam exhibet; quæ tamen quia sub aspectum humanum non ve-
nit, idè Elementum seu symbolum visibile ei addere Christus
voluit.

XLVII.

Hom. 60. ad pop. Antioch. Oportuit enim Deum συγκαταβαίνειν, & ad infirmitatem
hominū sese demittere, quibus, ut Chrysostomus loquitur, nuda
& incorporea bonâ sua dare non potuit, cūm incorporei nō esse-
mus.

XLVIII.

Quo respectu Augustinus quoq; , Sacramenta appellat
verba visibilia, quia in his verbum non tantum auditur, sed qua-
si pictum videtur.

XLIX.

Partes autem istæ Sacramentorum συστατικοὶ in unum coa-
lescunt, non numero, non naturâ, non arte, non συναφείᾳ, non
ἑστῶ tantum aliqua, hoc est, significatione & mutuo relationis
respectu: non efficacîâ, duntaxat & operatione: non occulta
aliqua aut magica verborum Consecrationis vi: non ex digni-
tate & fide vel ministri, vel accipientis: Sed Unione Sacra-
Luc. 1. 37. mentali, quæ in solidum dependet ex voluntate & ordinatione
instituentis Dei, apud quem non est impossibile ullum verbum.

L.

Vol. 3. tract. Theol. f. 195. & 258. Epist. 2. & 25. Hinc duo inferimus πορίσματα: unum contra Sacramen-
tarios: Cūm cuilibet Sacramento suum proprium atq; peculia-
re, ex divina institutione additum sit Elementum: quod cum re
cœlesti altera, Sacramentali unione jungatur: blasphemum esse
Bezam, qui à Christi consilio atq; voluntate nihil alienum facere
affirmat eum, qui vel in administrando baptismo, lacte aut alio
quovis liquore: vel qui in ijs regionibus, ubi nullus est vini
usus: aut qui naturâ abstemius fuerit, in Cœna Domini partici-
panda, alio potionis genere utatur.

LI.

Alterum contra Pontificios: Cūm solius divinæ sit pote-
statis.

statis, ut ex duabus rebus toto genere diversis unum Sacramen-
tum efficiatur: neq; in Ecclesia, neq; in Pontificis Romani, neq;
in cujuscunq; alterius hominis potestate situm esse, Sacramenta
condere aut instituire.

LII.

Sacramentalis autem isthæc signorum Unio, soli ac uni
usui sive actioni, quæ quasi Sacramentorum Forma est, à Deo
est destinata.

*Forma
Sacramen-
torum.*

LIII.

Vnde consequens, cessante usu, cessare etiam ipsam or-
dinationem Dei, ac unionem Sacramentalem; juxta utilissi-
mam illam Ecclesiæ regulam: Extra usum nihil habet vim Sa-
cramenti.

LIV.

Impij ergò & blasphemij sunt Pontificij, qui signa Sacra-
menti Eucharistici scriniolo inclusa, superstitiosè adservant, cir-
cumgestant, adorant.

LV.

Porrò quisquis Sacramentis participat, is non parte, sed
tota eorum participat substantia: licet propter infidelitatem
multi fructum & efficaciam Sacramentorum non percipiant.

LVI.

Neque enim, ut præclare scriptum est ab Augustino, in-
terest, cum de Sacramenti integritate agitur, quid credat, &
quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest
quidem plurimum ad salutis viam: sed ad Sacramenti quæstio-
nem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat
Sacramentum, & perversam fidem.

*L. 3. cont.
Donat. c.
14.*

LVII.

Fides ergò, id quod contra Sacramentarios probè est
notandum, non præstat in usu Sacramenti, ut Sacramentum
ipsum totum accipiat, qui credit: quasi tale non futurum esset,
nisi crederet: sed hoc solummodò efficit ut utile sit Sacramen-
tum percipienti; hoc est: Fide fit, non ut Sacramentum: sed
ut rem Sacramenti cum Sacramento ipso fidelis participet: id
quod decisione tertiæ quæstionis evadet manifestum.

LVIII.

Percipitur autem substantia Sacramentorum eo tantum modo, quem institutio divina singulis destinavit: Circumcisio, amputatione præputij: Agnus paschalis, eo manducationis ritu, quem Lex divina præscripsit: Baptismus, asperione aquæ: Cœna Domini, manducatione panis, & bibitione vini.

QVÆSTIO II. ΘΕΣΕΩΣ.

De usu ac finibus Sacramentorum.

LIX.

Expeditâ naturâ ac substantia Sacramentorum, quæ vocabulo signi nervosè ab Apostolo exprimitur: Consequens est, ut de signato, sive usu ac fine Sacramentorum; vel, uti patres loqui solent, de re Sacramentorum aliquid dicamus.

LX.

Vbi tamen initiò illud notandum, Signatum & rem Sacramenti, etsi à multis usurpantur pro synonymis: haud incommode tamen, majoris *σφαγιδα & ενεκα* commodè posse distingui.

LXI.

Res enim Sacramenti in omnibus, tam Veteris quàm Novi Testamenti Sacramentis viderur esse eadem & communis, quam D. Apostolus nominat *σφαγιδα δικαιοσύνης τῆς πίστεως*, signaculum, sive ob signationem justitiæ fidei.

LXII.

Qua stante determinatione Apostolica corrui crassus ille Sacramentariorum error, quo contendunt rem Sacramenti in sacra Eucharistia propriè esse corpus ac sanguinè Domini: Quasi vero Sacramenti essentia solis externis elementis perficeretur.

LXIII.

Consequens certè hinc foret, non in sola sacra cœna, *κοινωνία* Corporis & Sanguinis Dominici, cum pane fracto, & vino benedicto nobis obtingere: Sed eam omnium Sacramentorum esse communem: id quod est absurdum & falsum.

LXIV.

Signatum verò cuilibet Sacramento est proprium ac peculiare, signo semper correspondens; Quo mediante, Res Sacramenti demum obtinetur.

Exemplis

LXV.

Exemplis rem illustremus, Res Sacramentorum omnium fuit communis, nempe signaculum justitiæ fidei: At quodlibet Sacramentum suum proprium habet signatum: ut in Circumcisione, signatum fuit circumcisio *ἁχεροποίητος*: Col. 2. 11. In agno paschali esca spiritualis: In Baptismo, Regeneratio: Tit. 3. 5. In cœna Domini, Spiritualis Coalitio cum Christo, per illam corporis & sanguinis Christi manducationem, quæ fit & ore & fide, Ioh. 6.

LXVI.

Cæterum ut ad fines Sacramentorum propiùs accedamus: eos sic describit Confessio nostra: De usu Sacramentorum docent (Ecclesiæ nostræ) quòd Sacramenta instituta sint, non modò ut sint notæ professionis inter homines; Sed magis, ut sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos.

LXVII.

Duos nimirum fines Sacramentorum constituens: Vnum accidentalem quasi, & minus principalem: proprium verò, & maxime principalem alterum: quorum illum *συμβολικόν*; hunc *σφραγιστικόν* haud ineptè nominare possumus.

LXVIII.

Prior est, ut Sacramenta sint notæ Confessionis, sint testæ Ecclesiæ, sint nervi publicarum congregationum, typi officiorum pietatis, &c.

LXIX.

Quemadmodum enim Circumcisio olim Iudæum ab Ethnito; ità hodiè Baptismi & S. Cœnæ usus ab utrisq; Christianum discernit.

LXX.

Et quemadmodum Sacramentorum istorum absentia cœtum infidelium & gentilium, extra Ecclesiam Christi constitutorum verissimè arguit: ità eorundem præsentia, Ecclesiæ Christi signum est minime fallibile. Quam utramq; ob causam, prior hic finis, *συμβολικόν* dici meruit.

LXXI.

Εμφατικώτερον verò est, quod Confessio nostra, Sacramenta instituta esse dicit, non modò, ut sint notæ professionis inter homines: Sed magis, ut sint signa &c.

LXXII.

Servit enim hoc partim ad refutandum Cinglij & Anabaptistarum

ptistarum furorem, quo Sacramenta ob hunc solum & unum finem instituta esse, illi contenderunt, ut sint signa vel ceremonie, quibus se homo probet ut Christianum: quibus item homines duntaxat in communionem Ecclesie recipiantur. Nam tantum abesse, ut gratiam ea conferant, ut ne adferant quidem aut dispensent. Cingl. in rat. fidei ad Carolum.

LXXIII.

Quod delirium mendacij arguit Apostolum, qui disertè affirmat, quòd Sacramenta sint *σφραγίδες* signacula justitiæ fidei.

LXXIV.

Tollit etiam ipsam Sacramentorum, tanquam actionum federalium naturam, quæ est, ut nobis in ipsorum usu, non cum hominibus, sed cum ipso Deo res sit & negocium: quare finem etiam non humanum duntaxat, qui in externâ societate Ecclesie: Sed multò diviniorem obtinebunt: de quo mox dicetur.

LXXV.

Evertit deniq; omnem consolationem & divinæ protectionis spem, quam tum pij ac fideles quiq; in vetere Testamento ex sacramento Circumcisionis: ut David contra Goliathum. 1. Sam. 17. 37. Jonathan contra Philistæos. 1. Sam. 14. 16. sibi fuerunt polliciti: tum in Novo etiam Testamento ex Baptismo pius quisque sibi indubitato polliceri potest, imò verò debet.

LXXVI.

Servit deinde etiam idem ad retundendas pontificiorum cavillationes, quibus nostrarum Ecclesiarum doctrinam illi profcindebant, ac si Sacramentis, præter externum istum finem, nullum alium relinqueremus.

LXXVII.

II Alter igitur finis Sacramentorum & quidem proprius ac maximè principalis est, quòd, (docente Confessione nostra) sunt signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his qui utuntur, proposita.

LXXVIII.

Idem omnino docens, quod Apostolus, Sacramenta nominans *σφραγίδες* signacula sive sigilla. Rom. 4. 11.

LXXIX.

Neq; enim signi termino more ac sensu Calvinistico Confessio

Confessio nostra intelligit nuda duntaxat signa: hâc enim ratione posterior hic finis cum priore profus foret idem: sed προσφερόμενα ἢ διαδοχικὰ Conferentia & exhibitiva.

LXXX.

Finem autem istum ea tùm exequuntur, quando in ipso usu fidem partim excitant & conferunt, partim verò conservant, confirmant, corroborant.

LXXXI.

Et quidem Fidem excitari ac conferri per Sacramenta, testis omni exceptione major est D. Paulus, nominans Baptismum lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus Sancti: Tit. 3. 5. Et Petrus, eundem appellans ἐπερώτημα stipulationem bonæ conscientiae apud Deum. 1. Pet. 3. 21.

LXXXII.

Conservari verò fidem & confirmari per Sacramenta, testatur præter alia multa vel unicus ille finis primarius institutæ Cœnæ Dominicæ, qui est, ut promissiones Evangelicas de gratuitâ Dei misericordiâ, quæ in concione Evangelij omnibus in genere offeruntur: in specie per manducationem corporis & bibitionem sanguinis Christi in sacrâ cœnâ, singulis seorsim applicentur.

LXXXIII.

Furor ergò est gentis Sacramentariæ, contendentis non per Sacramentorum usum conferri regenerationis gratiam: Sed jam antè illam adesse infidelium & electorum liberis: id quod in seq. disputatione de Baptismo fufius ostendetur.

LXXXIV.

Est verò hic Sacramentorum usus communis omnib. tam Veteris, quam Novi Testamenti Sacramentis: ita ut, quoad præsentem quæstionem, nihil illis intercedat discriminis.

QVÆSTIO III. ΘΕΣΕΩΣ.

De conditione & qualitate eorum, qui Sacramentis salubriter participare volunt.

LXXXV.

De hac quæstione ad hunc modum nostra differit Confessio. Itaq; utendum est Sacramentis ita, ut fides accedat, quæ credat promissionib, quæ per Sacramenta exhibentur & ostenduntur.

Quod

LXXXVI.

Quod si igitur Sacramentorum usus salutaris esse debeat, fides utentium accedat necesse est: infidelitas siquidem usum & fructum Sacramentorum, respectu utentis, tollit & enervat.

LXXXVII.

Hinc Apostolus præcipit, ut Sacramentis participaturus semetipsum diligenter probet, ut dignè ijs utatur, 1. Cor. II. 28. & in eo quidem probet, utrum in fide sit 2. Cor. 13. 5.

LXXXVIII.

Hinc idem Circumcisionem appellat *σφραγίδα* iustitiæ fidei. Rom. 4. 11. Et confessio nostra fidem hanc credere debere affirmat promissionibus, quæ per Sacramenta exhibentur & ostenduntur.

LXXXIX.

Quemadmodum enim promissionum *ἰσχυροὺς δεκτικῶν* aliud est nullum, præter solam fidem: ita in ipso quoque Sacramentorum usu fides accedat necessum est, quæ promissiones Evangelicas similiter intueatur.

XC.

Cæterum quod de usu Sacramenti salutari, per fidem expediendo dicitur: id ad quæstionem de perceptione integritatis ac substantiæ Sacramentorum rari minimè debet: ac si infideles & increduli non integra Sacramenta, & utramque eorum partem substantialem, visibilem ac invisibilem, cœlestem & terrenam: Sed unam duntaxat, externam scilicet perciperent.

XCI.

Fides enim non præstat in usu Sacramenti, ut Sacramentum ipsum integrum accipiat, qui credit: quasi tale non futurum esset, si non crederet: sed hoc duntaxat efficit, ut utile ac fructuosum sit Sacramentum utenti: hoc est: Fides facit, non ut Sacramentum, sed ut rem Sacramenti cum Sacramento ipso fidelis percipiat.

XCII.

Quemadmodum enim semper sunt & erunt in Ecclesia, qui & Sacramentum, & rem Sacramenti percipiunt: quales sunt, omnes parvuli, lavacro regenerationis Christo insiti: & electi omnes, S. Coena utentes: ita sunt in eadem, qui neutro fruantur: ut Empectæ & manifesti Sacramentorum contemptores,

93. Sunt

X C I I I.

Sunt etiam, qui Re Sacramenti sine Sacramento participent
evadere possunt: ut qui in casu, necessitatis ab usu Sacramenti
Eucharistici exclusi, verè tamen credunt. Hic enim locum habet
illud Augustini: Crede & manducasti.

X C I V.

Sic sunt qui viceversa Sacramento quidem, at non re sive
usu ac fructu Sacramenti participant: ut qui sine fide Sacramen-
to Eucharistico utuntur.

X C V.

Est præterea & illud in hâc quæstione notandum, Fidem
necessario quidem requiri, in omni Sacramento, quo ad saluta-
rem ulum: non verò ante omne Sacramentum, ne cum Sacra-
mentarijs infantes etiã ante Baptismum in foedere & gratiã Dei
esse, ac proinde fidem, extra quam impossibile est placere Deo,
habere statuatur.

X C V I.

Hi igitur ad Sacramentum hoc fidem quidem minimè affe-
runt: eam tamen in ipso ejus usu divinã institutione & bonitate
accipiunt & consequuntur.

X C V I I.

Quemadmodum verò Confessio nostra per fidem non in-
telligit nudam illam noticiam historiæ de Christo: sed assensum
& fiduciam, generalem promissionem gratiæ in individuo sibi
applicantem.

X C V I I I.

Ita promissionum termino non tantum notat eas pro-
missiones speciales, quæ ad partes Sacramenti, aut eiusdem sub-
stantiam pertinent: Sed Sacramentarios etiã eas, quæ sunt Evan-
gelij propriæ, quæq; uti Confessio loquitur, per Sacramenta ex-
hibentur & ostenduntur, hoc est, obliquantur, & ceu visibili si-
gno interposito, confirmantur.

X C I X.

Neq; enim alia est gratia, quæ in verbo promissionis: &
alia, quæ in Sacramentis exhibetur: nec alia promissio est in
verbo Evangelij, alia in Sacramentis: sed eadem est utrobique
gratia, unum & idem promissionis verbum: nisi quòd in Sacra-
mentis per signa divinitus instituta, verbum quasi visibile red-
ditur.

C.

Quòd si verò quis dubitet, Qui ad salutarem usum Sa-
cramentorum fides requiratur; cum ad eam excitandam potius
ille

C

ille sit institutus? Distinctio inter initia sive primitias fidei, & inter progressum, incrementum ac robur ejusdem, omne tollit dubium.

C I.

Accedit ergò ad usum Sacramentorum fides, sed languidior & infirmior: Alitur eadem, augetur, confirmatur eorundem usu: ita ut primitias fidei secum afferat pius adultus: robur verò & incrementum ejusdem, secum ex usu eorundem auferat & deportet.

Pars II. Articuli *ΑΥΔΕΛΩΝ*.

C II.

ΑΥΔΕΛΩΝ Pontificijs potissimum oppositam sic informat Confessio: Damnant igitur illos, qui docent, quòd Sacramenta ex opere operato justificent: nec docent, fidem requiri in usu Sacramentorum, quæ credat remitti peccata.

C III.

In scholasticorum enim διατριβῆς decantata olim fuit hæc sententia: Sacramenta novæ legis conferre gratiam ex opere operato, sine bono motu utentis, modò non ponatur obex, hoc est, modò administrantur Sacramenta, tùm illis vim justificandi & sanctificandi inesse, quæ promiscuè ad omnes Sacramento utentes promanet. Biel & Petrus de Palude. l. 4. sent. dist. 1. q. 1.

C IV.

Quam impietatem stabilivit etiam Conciliabulum Tridentinum, per derestandam audaciam anathematis gladium stringens in eos, qui negarint, Sacramenta novæ legis conferre gratiam ex opere operato. Sess. 7. Can. 8. d. 3. Mart: 1547.

C V.

Etsi verò non negamus, Sacramentorum legitimè administratorum vim atq; efficaciam longè esse maximam: eam tamen vel per magicam aliquam incantationem Sacramentorum elementis velle adscribere: vel ex operis nostri dignitate suspendere, blasphemum esse statuimus.

C VI.

Ut enim Sacramenta suam vim ex sola institutione Christi Servatoris obtinent: ita ijs duntaxat ea obtingit, qui benè, hoc est, fide Sacramentis utuntur.

Quo

CVII.

Quò respicit vetus illud : Non Sacramentum, sed fides Sa-
cramenti iustificat.

CVIII.

Huic pontificiorum errori annumeramus & illum, quòd *Pet.*
sic edocti à Magistro suo sententiarum, septem comminiscuntur *Lomb. l. 4.*
Sacramenta propriè sic dicta, Baptismum, Eucharistiam, Pœni- *Sent. dist.*
tentiam, Confirmationem, Ordinem, Conjugium, & extremam *2. lit. A.*
unctionem. *Concil.*

CIX.

Rationes & fundamenta hujus commentì si quis exquirat, *Trid. sess.*
nihil ex sacrarum literarum oraculis, nihil ex orthodoxorum *7. c. 3.*
patrum monumentis : sed ex rancidis & anilibus fabulis, Sum-
mistas & Scholasticos proferre manifestum est.

CX.

Qui tamen ne ipsi quidem invicem consentiunt. Alij enim
sic colligunt : Sacramenta sunt medicinæ spirituales : Atqui se-
prem sunt differentiæ morborum spiritualium, E. Septem erunt
Sacramenta.

CXI.

Alij ad septem dona Spiritus Sancti respiciunt. Alij confu-
giunt ad tres virtutes Theologicas, & quatuor virtutes cardina-
les, quæ conjunctæ septenarium conficiunt. Alij (Rationale di-
vinorum officiorum) septem inquit sunt gradus processus vi-
tæ humanæ : Congruum igitur, ut septem sint Sacramenta.

CXII.

En verò miros Pythagoricos, ex numerorum analogia,
Articulos fidei stolidè, inscitè, ridiculè confingentes.

CXIII.

Nos ex eadem logica sic argumentamur : Unus est Deus :
E. unum erit Sacramentum : Aut duæ tabulæ Decalogi : E. &
duo Sacramenta : Aut : Tres sunt personæ divinitatis : E. tria
Sacramenta : Aut quatuor cœli plagæ : E. quatuor Sacramenta :
Aut, octo : quia octo animæ servatæ in diluvio : aut quatuor
vel quinque millia ; qui tot hominum chiliadas Servator mira-
culosè paucis panibus pavit. Matth. 15. 38. 16. 9.

CXIV.

Et mirum profectò videri debet, cur lotionem pedum inter
Sacramenta Pontificij non retulerint quam Christus suo exem-
plo

plō instituit: Ioh. 13. Et D. Bernhardus, Serm. de Cœna Dom. non modò Sacramentū esse: verū etiam in Ecclesia retinendam esse affirmat: veriti opinor, ne cū Papa se servum servorum appelliter: Laicorum etiam pedes lavare necessum habeat: id quod Reverendissima & Sanctissima (scilicet) ipsius Sanctitate longè foret indignissimum.

CXV.

Sed sat ineptiarum: de fictitijs quinq; Sacramentis nos sic statuimus: Cū ex definitione Apostolicā, & institutione reliquorum duorum Sacramentorum Novi Testamenti, Baptismi nimirum & Cœnæ Dominicæ, id duntaxat nomen ac definitionem Sacramenti propriè sic dicti sortiatur: quod salutem & justiciam fidei obsignat: quod constat verbo & mandati & promissionis divinæ: Hoc verò commentitia illa & adulterina Sacramenta præstare nequeant: neq; ulla vel institutione, vel mandato vel promissione divinā gaudeant: vel hoc nomine ea exolescere & in fumum ac ventos abire.

CXVI.

Potrò errantium in hoc articulo cætui Sacramentarios quoq; annumeramus: quibus ideò Confessio nostra hoc loco parcere voluit, ne videretur refricare errorem Cinglij, quem is in colloquio Marpurgensi, paulò antè celebrato, recantaverat, & abjurarat: vel pactum temerè violasse, quod tū inter Lutherum & Cinglium aliquatenus erat initum: redeunte tamen paulò post Cinglio ad erroris tū abjurati delirium.

CXVII.

Huic ergò succenturiātes modernos meritò averſamur, quipè qui Sacramentis non modò conferendæ sed & etiā obſignandæ gratiæ divinæ vim inesse, nefariè negare haud erubescunt: Quorum flosculos & Emblemata, sequentes duæ disputationes accuratius nativis suis depingent coloribus.

DEO SOLI GLORIA.

1/1935 a


ULB Halle 3
001 541 250



56







74

DISPUTATIO XV.
DE SACRAMENTIS
IN GENERE.

Ex Articulo XIII. Confessionis Augustanae.

Quam

Sub auspicijs Sacrosanctae Triadis,

Præside

LEONHARTO HVTTERO, S. Theologiae Doctore, & Professore publico:

Defendet

M. CHRISTOPHORUS ZECHERUS
Norimbergensis.

Die 29. Martij. hora locoq; solitis.



WITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno cl^o l^o XCVIII.

